

Bibliothèque numérique

medic@

**Stahl, Georg Ernest. Propemticon
inaugurale de Antiqua Veritate Artis
medicae**

Halae Venedor. : S.E., 1712.

Cote : 91007 t. 3 n° 3

~~XI.~~ 3


GEORGII ERNESTI STAHL,
CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM
NATURALIUM PROF. PUBL. ORDIN.
&c.

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

ANTIQUA VERI-
TATE ARTIS
MEDICÆ.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10





ERITAS circa res na-

turales, uti non solum simplicissimum aliquid esse solet, sed etiam ipsis rerum naturalium constitutionibus ita *inditum* atque *insitum*, ut quamdiu hæc à condito mundo extiterunt, hæc illas tanquam indiviso comitatu, stipaverit; Ita ab omni

tempore, à quo homines rationis compotes, ad harum rerum solertiore observationem animum applicuerunt, non potuit hæc illos ita tota præterire, quin ad minimum *eminentiorem* ejus conspectum animadverterent, & ad posteritatem celebrarent. Quamvis enim negari minimè possit, quod antiquissimi mortalium, vitæ atque morum simplicitate contenti, minus curiosè res, ad hos scopos minus pertinere visas, ad animum atque contemplationem revocarint; & posteriorum demum seculorum, primo forte vitiis, sed etiam inde pullulantibus magis magisque necessitatibus, plurium rerum naturalium aliquanto curiosior observatio, & pervestigatio increbuerit: tamen, si res tranquille, & sine præjudiciis, in sola probabilitate aut suspitione fundatis, perpendatur, neque circa hoc negotium obscurum erit, quod *duplici classe* circumscribantur omnes illæ annotationes; nempe *primò*, observationum è nihil necessario usu, sed sciolo solum, incauto, luxurioso, fastuoso, abusu, resultantium: *secundò*, curiosiorum quidem scrutiniorum, sed ab hominibus ita *paucis* institutorum, ut nec illi *soli* omnia satis exactè perficere potuerint, nec *subsidiis* etiam ad tales scopos absolvendos, soli suffecerint. E *prior*e classe procescit scientia, parallelismum retinens cum causa sua, vel occasione; ut videlicet non plus hac via inno-

resceret, quantum quàm in præparatione & aptatione ad illos scopos occurreret: aut ex usu talium rerum consequeretur, atque dilucesceret. *Posteriorem* classem, limitibus certis circumscripsit, necessitas variorum remediorum & *instrumentorum*, ad penitus scrutinium passim absolute necessarium: quæ neque *invenire* tam promptum est cuilibet, avido licet & solerti, ingenio, *uni* eidemque, *soli*: nec mente destinata & efficta, effectui ipso elaborata præstare, & perficere. Cui rei accessit illa difficultas, quod posteriores, magis propemodum in *admiratione* rerum ab antecessoribus annotatarum, subsistere maluerint; imò, ad has ipsas etiam comprehendendas, non parum temporis impendere necesse habuerint, occasionibus etiam ad hanc solam confirmationem varie deficientibus; quam ut vel voluerint, vel potuerint, tralatitia illa scrutinia, plus ultra *persequi*, & scientiam altius eruere aut polire. Quæ res ne nudis suspicionibus superstrui putetur, efficit vel *postremis* his temporibus notissimus circa tales ausus *defectus*, ubi, licet affatim sit manuariorum artificum, tamen passim inventiones *mentales*, veram potestatem artis mechanicæ transcendant; aut necessarij *sumtus*, aut reliquæ commodæ occasiones, tentamina quantumcunque bene consulta, cohibeant & retundant. Interim autem etiam qualiscunque usus, imprimis *politicus* & de pane lucrando, aviditatem hominum impellant, ad res, longe ingeniosiore *comparatione* indigentes, *intempestivè*, tanquam decreto aliquo obsignandas; ut ubi illi defecerunt, aut à proposito aberrarunt, alijs feliciter aut circumspectius in eadem re versantibus, nonnisi molestum hinc evadere possit, sive plura, sive imprimis alia, monere aut ostendere. Quamvis autem hoc, circa *multitudinem* rerum solidè declarandarum, ut hodieque valet, ita ab omni tempore valuisse, maxime probabile fit; non fefellit tamen *generaliorum* veritatum evidentia, ullam propemodum ætatem, quin de illa jugiter omnes consen-

ti.

tirent, quotquot ad observandum & experiendum animū ad-
jicerent. Ut hujus rei exemplum afferamus, ex intima antiqui-
tate, quoad monumenta suppetunt, depromptum, circa con-
stitutionem omnium atque singularum huius universi rerum,
omnes consenserunt, quod rerum, quomodocunque in sen-
sus incurrentium, partim *materia* certa & idonea sit & esse
debeat; partim *actus* quidam, materiam hanc *agitans*, &
pro sua habilitate *ordinans*, *distribuens*, diversimode *di-
sponens*, *coaptans*, *componens*. Hoc *activum* principium,
alii *Divinatem* appellarunt; alii *Mentem*: utrique tamen
à *materia* ipsa *distinxerunt*, & huic ita *præfecerunt*, ut
tam *actum* in genere, à *potestate* illa *eminente*, quam *ordi-
nem* atque *gubernationem* actus, ab *intellectu* quodam, ad
varios effectus respiciente, arcesserent. Alii verò ita qui-
dem *alligarunt* hanc *activitatem* ipsi *materiæ*, ut ab illa se-
parari non posse contenderent: interim tamen nec eo ipso
illud negare sustinuerunt, quod *activitas* illa, licet à *ma-
teria* non discedat, tamen non sit *ipsa* materia. Adeoque
in eo *coincidunt* cum præcedentibus, quod *activitas* hæc,
sit aliquid *sublimius*, *potentius*, adeoque vel ex lege *acti-
onis* atque *passionis*, *dignius*, quam ipsa *materia*; cum hæc
nihil utique sive ordiretur, sive perficeret ac absolveret,
nisi *activitas* illa illam *agitaret*, ageret, ferret, impelleret,
ordinaret, *distribueret* & *disponeret*. Ne verò nimium
se diffundat consideratio nostra, placet à *generalioribus*
illis, circa veritatem in rebus naturalibus, partim animad-
versionibus, partim consensibus, progredi ad paulo *spe-
cialiorem* aliquam, nempe corporis humani, ut *VIVI*,
contemplationem. Circa hanc nota est ab antiquissimis
inprimis medicinæ temporibus, ad nos transmissa, senten-
tia, quod *Natura* ipsis dicta humana, & *struat* sibi corpus,
& illud *administret*, *VIVUM*, sarrum tectumque, præ-
stet & conservet. De quo *activo* principio corpus admi-
nistrante, *Galenus libr. de Horrore & Rigore*, disertis ver-
bis

bis scribit, quod hoc principium, *calidum innatum* cum
 temporis dictum atque agnitum, sit, non aliquid adven-
 titium, aut generatione animalis posterius; sed ipsum pri-
 mum, primigenium, & verè innatum: imò quod tam Na-
 tura ita dicta, quam anima, nihil aliud, quam hoc ipsum,
 sint. Quamvis autem absque, & omni usu cassà sit disce-
 ptatio, de reliquis respectibus, quorum intuitu *anima* po-
 testas, cum *actionibus in corpus*, conciliari possit aut non
 possit; insuper etiam in eo fastidiosa, quod cum homini-
 bus, nec intellectus nec voluntatis compotibus, instituen-
 da veniat: sufficiunt tamen, & nullo usquam modo ne-
 gligi possunt, tres illæ circumstantiæ; 1.) quod *anima*,
 actu pure *speculativo*, quem *ens rationis ratiocinantis* vo-
 cant, potentissime valeat in *materialem* constitutionem
 corporis agere, experimento omnibus hominibus notissi-
 mo, *nevorum maternorum*: & altero æquipollente, *animi*
pathematum, in *motus vitales*, involuntarios, vulgo dictos.
 2.) quod *actus* etiam *vitales*, ita rationabiliter, seu *conve-*
nienter cum ratione, exerceantur atque gubernentur, ut
 ad *finem*, conservationem corporis, in genere & specie,
 quadrat & requiritur: nisi quidem ab *animi* malis mori-
 bus atque motibus, turbatio intercedat: 3.) quod etiam
actiones tales, *necessariæ* quidem omnino sunt corpori,
 sed nullo alio respectu, quam *propter finem*, nempe con-
 servationem corporis: nulla verò *materie* evidente *neces-*
sitate, siquidem toto die etiam manifestò exempla occur-
 runt, *omissionis* actuum talium, & quidem in casibus, ubi
 per *quantitatem* & *qualitatem* *materiæ*, si ab hac *physicè*,
 aut corporaliter *mechanicè*, effectus penderet, tanto *for-*
tius & eminentius sequi deberet. Unde sufficere potest
 observatio saltem illius, ab omni antiquitate agnitæ & as-
 sertæ *veritatis*, quod utique *conservatoria* talis *actuatio*
 atque *actio*, corpori sit *necessaria*. Tanto magis autem,
 inde ab omni antiquitate, agnita atque tradita est illa
 quo-

quoque *veritas*, quod *conservatio vitalis*, quam plurimum debeat *spontaneis*, nempe ab ipsa *activitate*, corporis animalis *œconomia* indita & immanente, institutis atque gubernatis, *secretionibus & excretionibus*: Quas antiquitas diligenter annotavit atque descripsit, non solum sub historia *coctionis*, & tandem *Crisis*: sed etiam sub interpretatione solenni, quod *Crisis*, sint exitus *pugnæ ipsius naturæ cum morbo*: cujus *intermedii* successus, felicioris aut infelicioris ultimi eventus prænuncii & indices, sint *signa coctionis*, id est, *progressus & eventus partiales & successivi secessionum, & secretionum* morbidæ materiæ; quorum proportioni tandem respondeat *Crisis* ipsa, per plenior, uberior, fortior & alacrior, *ejectionem* totius materiæ morbiferæ, nempe *Ecresin* seu excretionem. Cui ita *theoreticè* agnitæ veritati, superstruxerunt etiam totam suam artificiosam *Therapiam* atque *praxin*; nempe ita præsupponentes atque commendantes, *spontaneam* illam *activitatem* naturæ, ut artifex illi omnino *invigilare*, eamque solerter *observare* debeat; & hujus *successui*, secundum proprias eius, ut *spontanei*, *mensuras*, *subsidiariam* suam operam, ita præstare atque adhibere, ut illi quoquo modo *succurrere*, eamque vel *sublevare*, vel plane *supplere* obtingat. Unde nempe, si hæc constantissima antiquissimorum intentio atque traditio, satis intellecta, decenter pro *Cynosura* præ oculis habeatur, facile erit intelligere, quomodo accipi debeant, tam admonitiones antiquorum, de *spontaneis* conatibus & successibus *criticis* observandis, & non turbandis: quam consilia, de *subsidiariis* suppetiis, naturæ ad tales exitus & effectus contendenti, secundum proportionem processus & progressus ipsius, ferendis & adhibendis: & e propriæ, aut focia, talis *pugnæ* adversus morbum, successibus, tempestive percipienda *prognosis*, quid de futuro ultimo felici exitu, legitime sperare aut time-

re

re conveniat. Ex his, inquam, considerationibus, luculenter perspicere licet, ipsi jam priscæ ætati bene notam & notatam *veritatem*, tam *conservationis* atque *propugnationis spontaneæ*, corporis, quæ, exquisitissimo sensu, *Vita* atque *actio vitalis*, appellatur: quam veram *utilitatem*, cum suis conditionibus, imò veram aliquando *necessitatem*, Artis. Hæc ipsa, ab ultima antiquitate ad nos transmissa *veritas*, è fundamento suo recte eruta & considerata, illustrat ὁφθαλμοφανές; totum habitum *artis*, & *potestatis* ejus, ad *subveniendum* atque consulendum *naturæ*: & *necessitatis* ejus, ubi suppetiæ hæ, naturæ *prægravatæ* revera ferendæ veniant. Hæc, inquam, veritas de *necessitatibus*, naturæ humanæ in suo corpore objectis; & *potestatibus*, propria operatione atque gubernatione his subveniendi & bene consulendi: accidentali autem etiam *possibilitate*, seu potentia, ut *prægravari* possit hæc ipsius naturæ Energia: & tunc elucente *necessitate artis*. Interim etiam *necessitas* utique, ut *ars* ad *naturæ sociam* operam respiciat, & cum hujus *potestate*, suam recte comparat, & combinet atque exæquet, ab omni tempore, quæ patent monumenta, agnita est, satis perspecta, & ad posteritatem studiose transmissa, imò commendata. Curiosius autem hanc veritatem observandi, declarandi, & ubilibet decenter applicandi potius, quam solum explicandi, studium, incumbere certè *posteritati*, eò magis, quantò non solum *facilius* est, *inventis aliquid addere*; verum etiam vel sponte increbescerent, vel pari studio conquirendæ, commodiores *occasiones*, magis magisque, vel decerni atque commendari possunt, vel effectū ipso inveniri, & usibus desideratis applicari. Id quod, sicuti de *Medicæ arte*, ejusque non solum *utilitate*, sed passim etiam *necessitate*, præcipuo loco valet; ita nec ad nudam *scientiam*, ubi illa quæritur aut affectatur, minus valet, aut negligi debet: tanto magis, cum *scientia* luculentior &

& perfectior, *arti* semper faciem præferat, eamque magis magisque, non solum illustret, verum etiam instruat, informet, & confirmet. Possimus ejus rei exemplum allegare, in arte *Chymico-metallurgica*, & *scientia* ejus *physica*; ubi à remotissima antiquitate, agnitum utique atque observatum est, quod *metalla*, *imperfectioris*, nempe *laxioris*, *mixtionis*, quando connexæ cum ipsis, in eorum mineris, *heterogeneitates* crudæ, *sulphureo-arsenicales*, & *regulino volatiles*, *ustione* ab illis separandæ veniunt, ita quoque ipsa hæc metalla inde comburantur, ut amissa aliqua *mixtionis* suæ portione quacunque, *fusorii*, qua talis, ignis potestate, in verum metallum redigi, seu, uti recte loquuntur recentiores, *reduci* non possint; (Id quod etiam valet de metallorum talium, jam ad debitam suam metallicitatem atque *tractabilitatem* deductorum, variis ustulationibus, quibus semper portio illorum in similem destructionem, quasi *cinerariam*, fatiscit, ut sunt *cineres plumbi* atque *stanni*, quin vulgo quoque cinerum nomine venientia recrementa *cupri*, & vulgo appellata *battitura ferri*) restitui autem posse corrupta hæc metalla in integritatem *mixtionis* suæ immediata transfusione per ipsos *carbones*, imò strictius loquendo, *confusione* cum carbonibus, antiquissima praxi deprehensum, observatum, & in usum deductum, utique est. Interim *scientia* hujus rei, quæ necessitas hunc agendi modum imperet, imò potius quis *physicus* usus, & corporale commodum, metallis ab hac *commixtione* cum carbonaria substantia, eveniat, in hunc usque diem parum pervestigata atque intellecta fuit. Dum interim adeò familiares, inter ipsos passim speculationem & scientiam affectantes, docimasiæ, & ante omnia promptissima illa, *reguli antimonialis* cum nitro exusti, restitutio in *metalliformem* consistentiam suam, per *carbones* adjectos, & momentanea reversio *cinerum stanni* non prorsus exustorum, per frustulum *sebi*, *picis*, aut cujuscunque *pinguedinis*, simplicissimæ hujus rei scientiam, in rudem utique sensum ingerere debuisset &c. Sicut autem de Me-

b

dica

dica inprimis *veritate antiquissima*, sermonem instituire, præcipue tulerat animus, ita cum hoc præstitum à nobis esse confidamus, non placet ulterius diffundi, sed solum antiquissimæ hujus veritatis solertem comprehensionem, æstimationem, & applicationem ad usum therapeuticum, cujus verum, solidum atque unicum fundamentum est, commendare. Placuit hæc præmittere commendationi, quam à nobis expectat Vir Juvenis Nobilissimus atque Clarissimus,

JOHANNES ANDREAS HAMMERER,

ARGENTORATENSIS,

MEDICINÆ CANDIDATUS DIGNISSIMUS.

Natus hic est Argentorati; Patre, *ὄν ἐν ἀγίοις*, Vi-
ro Prænobilissimo & Excellentissimo Domino JO-
HANNE CAROLO HAMMERER, quondam E-
minentissimi Principis FURSTENBERGICI, Cardinalis
& Episcopi Argentoratensis, diversorumque Magnatum at-
que Statuum, Consiliario & Archiatro, inque Civitate Pa-
tria Practico Seniore, ut & Reipublicæ Argentinenfis Se-
natore. Matre vero virtutibus sexum hunc exornantibus
spectatissimâ, SALOME, Senis, annum LXXXII. ingressi
B. ANDRÆ GREUHM, ejusdem Civitatis Senatoris &
Pharmacopolæ Senioris, Filia. A Parente, ab ipsa infan-
tia, non modo in pietatis & morum optimorum exercitio,
sed etiam bonarum literarum fundamentis, usque ad obi-
tum ejus, sub Inspectione perpetua & Informatione Præ-
ceptorum domesticorum, omni curâ atque Studio educa-
tus. In scholas sic dictas Classicas quoque immissus, Vi-
rorumque plurimum Reverendorum, DANIELIS PFEF-
FINGERI & BRECHTII, S. S. Theologiæ nunc Doctorum
& P. P. Ord. Capit. S. Thom. Canon. JOHANN. PHILIPPI
BARTENSTENII Logic. & Metaph. P. P. Ordin. ut & Capit.
S. Thom. Canon. M. GEORGII FRIDERICI HEUPELII,
Græcæ Linguae in Gymnasio florente Præceptoris dignis-
simi, fidelissimæ Institutioni commissus, & postea in Aca-
demia florente Civis factus, Post hæc, Patre Optimo præ-
matu-

1
maturè orbatuſ, à Matre honoratiſſima atque perdilecta,
uſque ad hunc diem tam multis ac innumeris beneficiis af-
fectuſ eſt, ut merito ſe obſtrictum agnoſcat, grata men-
te ea in perpetuum celebrare: Inter alia enim, eò etiam,
ſpeciali maternâ curâ, allaboravit, ut conſilio ac operâ Vi-
rorum Magnificorum, Ampliſſimorum, atque Prudentiſſi-
morum Dominorum, DN. REINBOLDI FRIDERICI, apud
Argentoratenſes Reipublicæ Conſulis ac Tredecemviri, at-
que Univerſitatis Scholarchæ, & DN. JEREMIE ADAMI
LEITERSPERGER, Conſulis Reipublicæ Argentoratenſis,
Patronorum atque Affinium ſpectatiſſimorum, Viro No-
biliſſimo Excellentiſſimo atque Experienciſſimo Medicinæ
Doctori & Prof. Publ. S. Capit. Thom. Canon. DN. MEL-
CHIORI SEBIZIO, & poſt mortem huius, Viro Nobiliſ-
ſimo Ampliſſimo atque Excellentiſſimo, DN. JOHANNI
HEINRICO LEDERLINO, Linguar. Orient. Prof. Publ.
Ordin. & Capit. Thom. Canon. Affini Graviffimo, per ali-
quot annos victor domesticuſ fuerit; quò ſimul in hu-
manioribus ſtudiis ac fundamentis Medicinæ firmiſ, omni
ſtudio & fideliffima Informatione inſtrui poſſet.

Qua de cauſa privatiſſima manuſductione prælaudati
Nobiliſſ. Viri, DN. LEDERLINI potituſ, ſub ejus auſpiciis
Antiquitateſ, Philologica, aliaque Principia philoſophi-
ca, ad altiora ſtudia pertinentia, tractavit, & Diſſertatio-
nem Philologicam de *πρωτολογία τῶ ὄντοſ*, ſolenniſter ventila-
vit. A Viriſ quoque Nobiliſſimiſ, Ampliſſimiſ atque Ex-
cellentiſſimiſ, DN. KHUNIO Hiſt. & Eloq. Prof. Publ. Or-
din. Capit. Thom. Canon., tam publicè quam privatim, in
Hiſtoricis & Oratoria, & ſupra nominato DN. BARTEN-
STEINIO in Logicis, privatim, & privatiſſimè in Meta-
phyſicis, à Conſultiſſimo DN. JOHANNI GEORGIO
SCHERZIO J. U. D. & Prof. Publ. Capit. Thom. Canon. in
Ethica, Politica, & Jure publico, privatim, optime & e-
rudite inſtructuſ. Hinc *Medica* Collegia frequentavit, &
Virorum Nobiliſſimorum, Excellent. & Experienciſſi-
morum,

norum, SCHEIDII, SEBIZII, HENNINGERI, SALTZ-
MANNI, Medicinæ Doctorum & Professorum Publicorum,
& Capit. S. Thom. Canon. Fautorum, atque Cognatorum,
omni honoris cultu sibi prosequendorum, eruditas & e-
gregias Commentationes, ad Hippocratis Aphorismos,
Celeberrimi Wedelii Theoremata, Physicam Rationalem
& Experimentalem, Materiam Medicam, Chirurgico-Ana-
tomicas Explicationes, tam publice, quam privatim, &
privatissime audivit. Loci etiam herbarum omnis gene-
ris plurimarum fertilissimi, Hortoque Medico pulcherri-
mo instructi, morumque, illorum Cadavera, qui vi-
tam in nosocomio finire, Cultro Anatomico largissime
subjicientium commoditate usus, Excursionibus Botanicis,
& Sectionibus Anatomicis, utriusque sexus, tam publicis
quam privatis, per aliquot annos sedulo interfuit. Præ-
terea Prænobilissimorum & Clarissimorum Virorum, Do-
mini STROEHLING, & DN. Fratrum GREUHMIO-
RUM, avunculorum suorum honoratissimorum, inclytas offi-
cinas Pharmaceuticas, frequentius frequentavit, ut & No-
socomium sic dictum Gallicum, in quo ex Viri Celeberrimi
& Experientissimi DN. DUCONTE ingeniosis & usu
comprobatis plurimis Operationibus, multum profecit.

Grata mente etiam celebrat Virum Excell. atque Ex-
perient. DN. Doctorem NICOLAI, Practicum Felicissi-
mum; cujus eruditis discursibus plurimum debuit. Hisce
Prælaudatorum Virorum prudentissimis Manuductionibus
instructus, consulente & permittente Prudentissimo atque
Amplissimo DN. FRIDERICO REICHARDO MOCKEL,
Illustris Collegii Quindecimviris Argent. Assessore splen-
di-

didisimo, Parente Optimo, & perdilecta Matre, quæ cum hoc ante tres annos secundum Matrimonium iniit, trans-acto antea per celebres aliquot regiones atque Aulas itinere, 1711. ad hanc florentissimam Regiam Fridericianam profectus est. Ibique in studio Medico tum mea privatiore institutione, maxima cum industria, assiduitate, atque solertiâ, usus est, tam in Lectionibus publicis, Physicam & Chymiam, & privatisimè, Cursum Medicum docentis, quam privatis Discursibus curiositati atque sagacitati ipsius satisfaciens: Tum etiam Dn. Doctoris MICHAELIS ALBERTI, Prof. Publ. Extraord. & Reipubl. Norimb. Phys. Ordin., cuius & solidam, & planam ac perspicuam, Doctrinam, gratâ mente prædicat; in Lectionibus cum publicis, tum privatisimis, in universum Cursum, & privatis Practicis, Chymicis, Casualibus. Alios etiam hujus Academiæ Viros eruditionis Fama Clarissimos audivit, ac potissimum privatisimè, Dn. CHRISTIANUM FRIDERICUM HUNOLD, quem MENANTIS Nomine Orbis eruditus novit, cujus singularem Favorem multis modis expertum se esse, gratâ mente recolit. Exacto ita hic per omnimodam indefessam industriam biennio tandem ad usum atque fructum, è collecta scientia pulcherrima, ipsa praxi felici, percipiendum, tam proprio instinctu, quam charissimorum Cognatorum suasu, colophonem Academicis studiis imponere, secum constituit; simul tamen ad Jura, Privilegia, atque Ornamenta, dignis artis cultoribus destinata, animum adjiciens, postquam apud Facultatem nostram desiderium suum modestè professus, & ad examina consueta admissus esset, talia eruditionis suæ documen-

menta exhibuit, ut meritò ad supremum in hoc genere
specimen publicum edendum, liber aditus ipsi pandi de-
buerit. Præstabit hoc DISPUTATIONE INAUGURALI,
sub meo Præsidio, De NECESSITATE ARTIS
MEDICÆ. Quæ cum publicè ventilanda veniat pro-
ximo Decembris die, ad Actum hunc solennem
honorificâ suâ præsentia condecorandum, omnes, quibus-
cunque honoribus atque Titulis appellare fas est, Aca-
demiæ PATRONOS, PROCERES, FAUTORES, HOSPI-
TES, atque CIVES, ex officii ratione, quibus par est,
obsequiis, officiis, & humanitate invitamus.

P. P. d. XXIV. Decembr.

MDCCXII,



NOBILISSIME CANDIDATE,

FActum est, ut aliquoties, mecum in colloquia descenderes, ex quo, studiorum causa, egisti in Fridericiana. Semper in te animum deprehendi agilem, artisque tuae amantissimum. Mouit hoc collegam nostrum, principem Medicum, ut te ad scholas admitteret priuatas, numeraretque te inter auditores acroamaticos. Probavi hunc studiorum tuorum ordinem prudenter dispositum. Quod praesertim in re medica plurimum praxi eiusque arcanis rationibus dare

re soleamus. Respondet etiam con-
filiis nunc tuis euentus, summa uo-
torum tuorum uitaeque Academicae
gloriae plenus exitus. Prodis in pu-
blicam arenam, unde infulam, Me-
dicis sacram, reportabis. Vrbi ue-
strae, quam ciuium ergo, diu habui
in deliciis, tui nunc causa gratulor
uoueoque, ut salutaria illi edas spe-
cimina morbosque regulis depellas,
quibus apud nos fuisti solerter imbu-
tus. Vale & anni, ad finem curren-
tis, exitu ingressuque noui utere feli-
citer. *Scippsi Halae Venedor. d. xii.
mensis Dec. c1d1dCCXII.*

IOAN. PETR. Sudewig/ ICtus,

Regi in Curia Iudicioque Heraldico eoque Supremo a Con-
filiis, Iurium ac Historiarum Professor atque Magde-
burgici Tabularii Praefectus, Ordinis ICtor.
h. t. Decanus,